



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione
praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agr., 1684

Ad part. 4. Quæst. 11. Additio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Ad Quæst. 5. part. 4. *Additio.*

Regulam, quod electi in concordia, si sint immediatè Papæ subjecti, & ultra montes constituti, possunt administrare ante habitam confirmationem. Restringerè primò, ut procedat tantùm in electis, non etiam in provisais à Papa ante habitas litteras sive Bullas suæ provisionis, quamvis enim pronunciatus per Papam in Consistorio etiam ante levatas Bullas sit verus Prælatus, cum litteræ non fiat de substantia gratiæ. *Felin. in cap. eam te num. 2. vers. cave. de rescripte. Sarnen. in reg. de infirm. q. 7. vers. nam considerandum.* Attamen cum sic promoti aliter de sua promotione certi esse non possint quàm per inspectionem Bullarum, vix careret periculo eosdem ad simplices curialium sive agentium missivas de provisione testificantes administrationi sese ingerere ut not. *Eagnan. in cap. nihil. num. 31. de elect.*

Restringerè secundò, ut nec electi in concordia possint ante confirmationem administrare, quandò in illa provincia adest Legatus Sedis Apostolicæ, idque non obstante quavis contrariâ consuetudine. *Idem Eagnan. in d. c. nihil. n. 19. vers. limitibus & in c. cum venerabilis n. 14. de consuetud.*

Ad part. 4. Quæst. n. *Additio.*

Hoc loco conjungenda sunt illa, quæ infra hac eadem parte 4. q. 42. & duabus sequentibus satis dubiè scripsit D. Auctor circa susceptionem Ordinum & cæterorum pontificalium per exemptos faciendam, nec non de concedendis dimissoriis, de quibus omnibus teneas certam Conc. Trid. determinationem *sess. 23. de reform. c. 10.* ubi statuit Abbates aliosque Prælatos quantumcunque exemptos, etiâsi nullius diœcesis sint, neque consequenter eisdem dimissorias concedere, sed hæc omnia pertinere ad ipsum Episcopum, intra cujus diœcesis fines loca sic exempta vel nullius diœcesis existere dicuntur. *Rot. coram Seraph. dec. 985. per tot. & de hac re vid. Tamburin. de jure Abb. tom. 3. dist. 5. q. 11. n. 70. Azor. instit. moral. tom. 1. d. 12. c. 20. q. 7. & tom. 2. d. 3. c. 48. q. 15. & alios allegat. per Barbof. ad d. c. 10. sess. 23.*

Amplia 1. quod hæc decisio procedit etiam quoad Prælatos habentes omnimodam jurisdictionem in clerum & populum, etiam si extra fines cujuscunque diœcesis esse dicantur, quia hoc casu jus ordinandi & dimissorias concedendi spectabit ad Epi-

Episcopum viciniorem, ad quem ex eodem Concilio spectat visitatio iure delegata plenè. *Fagnan. in cap. significasti num. 12. & seqq. de offic. archidiacon. & in cap. nullus a non 10. de paroch.*

Amplia 2. Ut quamvis Abbas exemptus simul sit Episcopus alterius loci, tamen non possit ordinare subditos suos ratione Abbatie, quia eos ordinat et ut Abbas, ut Episcopus. *Fagnan. in d.c. significasti n. 30. de offic. archidiacon.*

Amplia 3. Quod quamvis Prælati exempti subditis suis regularibus potestatem dimissorias concedere, debent tamen illas dirigere ad Episcopum diocesani, vel si sint extra fines cujuscunque diocesis, ad viciniorem. *Fagnan. in cap. cum dicitur 15. & 16. de prescript. Barbosa ad Concil. d.c. 10. sess. 23. num. 11. & de offic. Episc. par. 1. leg. 7. num. 18.*

Limitantur hæc omnia in illis exemptis, qui speciali privilegio possunt Episcopalia à quocunque maluerint Episcopo recipere, de quibus *vid. Rot. coram Buben die 594. num. 9. & 10.*

DECISIO XCVIII.

De facultate quam habent Abbates ordinandi subditos suos, eisdemque dimissorias concedendi, & de restrictione hujus facultatis per sac. Concilium Trident. facta.

Illustriss. Seraphino.

Tot. mss.
Seraphino
die 19.

Dubium sacre Congregationis Concilii.

Lunæ 27. Aprilis 1592.

SUMMARIUM.

- 1 Abbates regulares hodie non possunt tonsuram & ordines minores conferre personis secularibus etiam sibi subditis, vel
- 2 Abbates non possunt dimissorias concedere
- habentibus dimissorias proprii Ordinaris, & n. 5. & 8.